



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011860X**

§. 84. Salmeronis oratio circa primum articulum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1562.

§. LXXXIII.

*Prima Theologorum congregatio pro  
dogmatum examine.*

*Pallav. c. 12.  
n. 3.*

Itaque die vigesima tertia Septembris primus universalis Theologorum cœtus die vigesima tertia Septembris habitus est, cui interfuere Legati, Oratores Cæsarei, Gallici, Lusitanus, Veneti, & Helvetius, tres Patriarchæ, duodeviginti Archiepiscopi, centum quadraginta sex Episcopi, duo Abbates, quinque Regularium summi Moderatores, octoginta quatuor Theologi, compluresque Doctores, ac viri nobiles cum plurima aliorum Nobilium frequentia, ubi de primis tribus illis articulis, qui primæ Theologorum classi destinabantur, verba fecerunt Alphonsus Salmeron Jesuita, Theologus Pontificius, Ferdinandus Bellosilius, & Didacus Payva, uterque Clericus sæcularis, quorum unus a Philippo II. Hispaniæ, alter autem a Sebastiano, Lusitanicæ Rege ablegatus erat.

§. LXXXIV.

*Salmeronis oratio circa primum  
articulum.*

*Pallav. n. 3.  
Sarp. p. 570.*

Porro Salmeron, qui primus verba faciebat, in hunc ferme modum perorabat: „Sacrificium, ac Sacerdotium  
„ ita



„ita inter se connectuntur, ut sejungi  
 „non possint, adeoque unius dogma do-  
 „ctrinam alterius merito inferat: Lu-  
 „therus quoque ad evertendam Eccle-  
 „siam, Ordinem esse Sacramentum ne-  
 „gabat; porro Ordinis nomine varia si-  
 „gnificantur, modo enim rerum dispo-  
 „sitionem importat, quemadmodum il-  
 „lud usurpat S. Augustinus lib. 19. de  
 „civitate Dei; nunc autem eminentem  
 „in Ecclesia gradum significat: prout  
 „distinguiamus a Diaconatu Presbytera-  
 „tum, & ab hoc Episcopatum, demum  
 „etiam indicat cæremonias, per quas  
 „confertur potestas in eadem Ecclesia,  
 „sicuti definitur a Magistro sententia-  
 „rum: Ordo igitur secundum hanc po-  
 „stremam significationem, licet id in pri-  
 „mo articulo negetur, verum est Sa-  
 „cramentum, atque institutum a Christo,  
 „prout desumere licet ex sanctorum  
 „Patrum doctrina, idque sat delaravit  
 „anteacta Sessio, illis verbis a S. Luca  
 „relatis cap. 22. *Hoc facite in meam com-  
 „memorationem*: insuper in illius colla-  
 „tione adhibebantur a Christo peculiare  
 „cæremonia, uti Cajetanus explica-  
 „bat. De cetero alteram Sacerdotii  
 „potestatem impertiebatur Redemptor  
 „noster Apostolis tanquam Sacerdoti-  
 „bus, cujus meminit S. Joannes capite  
 „vigesimo, ubi imprimebatur character,

Sæcul. XVI.

A.C. 1562.

C c 2

„usus-



**Sæcul. XVI.** „ufusque peculiaris cæremonix conce-  
**A.C. 1562.** „debatur, dum is fufflabat in ipfos; qua  
 „fufflatione illis eam potestatem im-  
 „preffit, ex Augustini sententia; & hæc  
 „est potestas in Corpus mysticum Chri-  
 „sti, sicut altera est in corpus verum.  
 „Denique cum Christus id peregit, quod  
 „habetur in postremo capite S. Lucæ,  
 „ubi dicitur, *Eduxit eos foras, & benedi-*  
 „*xit eis*, ibi fuerunt a Christo constituti  
 „Episcopi, quod affirmant, Sanctus Au-  
 „gustinus, & D. Clemens Papa Roma-  
 „nus in libro octavo Apostolicarum  
 „Traditionum, atque id etiam inde ar-  
 „guitur, eoquod æqua decentia, cum  
 „eos ad Evangelium prædicandum Chri-  
 „stus misisset, etiam exigeret, ut no-  
 „vam ipsis daret auctoritatem, quæ præ-  
 „ter Episcopalem alia non est. „ His di-  
 „ctis ita idem Theologus prosequetur:  
 „omnino liquet, quod Ordo Dia-  
 „conatus sit Sacramentum, cum Acto-  
 „rum sexto versu secundo, ac sequenti-  
 „bus dicatur: *Non est æquum, nos de-*  
 „*relinquere verbum Dei & ministrare Men-*  
 „*sis: considerate ergo fratres, Viros ex*  
 „*vobis boni testimonii septem plenos Spi-*  
 „*ritu Sancto . . . quos constituamus su-*  
 „*per hoc opus . . . & elegerunt Stephta-*  
 „*num & Philippum . . . Hos posuerunt*  
 „*ante conspectum Apostolorum, & oran-*  
 „*tes imposuerunt eis manus. In his au-*  
 „tem



„tem verbis indicatur integra Diaconi  
 „creatio cum cæremonia, & impositio-  
 „ne manuum, unde impressa fuit gra-  
 „tia, ut constat de Sancto Stephano, de  
 „quo legitur, *Erat plenus Spiritu Sancto,*  
 „*& prædicabat.* Porro id confirmatur  
 „variis S. Pauli dictis in suis epistolis  
 „ad Timotheum, & Titum. Itaque  
 „Diaconi instituti non fuere ad mini-  
 „strandum, sicuti contendunt hæretici,  
 „mensæ terrenæ, sed cœlesti: siquidem  
 „ut destinarentur ministerio terrenæ, ac  
 „temporalis mensæ, opus non fuisset,  
 „ut illi, qui Ordinem conferebant, je-  
 „junarent, atque eis manus imponerent,  
 „iique Diaconi Spiritu Sancto reple-  
 „rentur: electi itaque fuere Diaconi illi  
 „ad Eucharistiam ministrandam; quod  
 „declarant S. Petrus, ac præcipue S.  
 „Clemens, Evaristus, Ignatius Martyr,  
 „Cyprianus, Hieronymus, Synodus Neo-  
 „Cæsariensis, & Beda: quamquam  
 „quidam Canones sexti Concilii eorum  
 „institutionem referant ad ministerium  
 „viduarum mensis præstandum, hi ta-  
 „men Canones ab Ecclesia non sunt  
 „recepti. Idem etiam Christus de E-  
 „piscopatu stabilivit: etenim simile je-  
 „junium, ac manuum impositio legun-  
 „tur in actis Apostolicis usurpata erga  
 „Paulum, & Barnabam, dum institue-  
 „bantur Episcopi, iis verbis: *ite præ-*

Sæcul. XVI.  
 A. C. 1562.



Sæcul. XVI  
A. C. 1562.

„dicite: insuper postea narratur, per ci-  
„vitates constitui ab ipsis Presbyteros,  
„quod Episcoporum munus est, unde  
„Ordinem Sacramentum esse, ex S. Pauli  
„effato ad Timotheum probatur: *Noti-  
„negligere gratiam, quæ in te est, & quæ  
„data est tibi per prophetiam cum im-  
„positione manuum Presbyterii.* 1. ad Tim.  
„c. 4. v. 14. Et ad eundem: *Ut reser-  
„scites gratiam Dei, quæ est in te per im-  
„positionem manuum mearum: at nemini  
„cito manus imponas.* 2. Tim. 1. v. 6. 1.  
„dem corroboratur traditionibus Con-  
„cilii VI. Carthaginensis, Florentini, &  
„Tridentini sub Paulo III, necnon auctori-  
„tate Sancti Clementis, Innocentii pri-  
„mi, Divi Gregorii, & Innocentii III.  
„Pontificum, necnon SS. Dionysii, Au-  
„gustini, & Hieronymi testimoniis.

Postea Salmeron e pluribus, variis-  
que testimoniis demonstratum ibat, per  
collationem Ordinis imprimi caracte-  
rem: ut vero evinceret, Ordinem non  
esse meram, sicuti dicebatur in primo  
articulo, electionem ministrorum verbi  
aut fictionem humanam, sicuti in se-  
cundo, sed esse Sacramentum, & cha-  
racterem imprimi ab Ecclesia ex divina  
facultate, hinc quartum articulum dis-  
cutere aggressus est, eosque refellit,  
qui Sacerdotes, & Diaconos a Laico-  
rum Magistratu posse constitui affere-  
bant.



bant, cum tamen eorum potestas natu- Sæcul. XVI.  
 ræ vires superet, spectetque ad munus A. C. 1562.  
 gregem pascendi, quod Divo Petro com-  
 missum est: si vero aliquando popu-  
 lus suos Ministros seligebat, id dunta-  
 xat ex concessione Apostolica ideo fa-  
 ctum, ut populus de Ministrorum mori-  
 bus bonum redderet testimonium, proin-  
 duntaxat ad electiones vocabatur, te-  
 stemque de ordinandis agebat: Eccle-  
 sia autem Ordinem conferebat, confir-  
 mabatque electionem.

Abfoluto Salmeronis sermone reli-  
 qui duo Hispaniæ, ac Lusitaniæ Regum  
 Theologi verba faciebant, ac pluribus  
 sacræ Scripturæ testimoniis comproba-  
 tum ibant, Ordinem esse Sacramen-  
 tum, præcipue adducentes textum D.  
 Pauli ad Romanos cap. 13. v. 1. *Non  
 est potestas nisi a Deo, quæ autem sunt a  
 Deo, ordinatæ sunt.* Hanc quoque vé-  
 ritatem traditionis, Patrum, & Floren-  
 tinæ Synodi auctoritate firmabant.

§. LXXXV.

*Altera classis: Petrus Sotus  
 perorans.*

Integrum biduum Theologi primæ Pallav. cap.  
 classis in dicenda sententia sua insu- 12. n. 6.  
 mebant: postea vero die vigesima quin- 7. & 8.  
 ta Septembris secundæ classi locus dif-  
 ferendi dabatur, ibidemque primus per-

C c 4 orabat